

ENCOMION

*De palma: virtute pari & victricibus armis,
Præmia victori posuerunt digna Tropheis:
Sic quoq; Parthenopes polis obtulit arma triumphis,
Qui benè sefforem tergo remoueret equino,
Aut virtutis opus propria præstaret honestum,
Atque opus egregium faceret, virtute subiret
Immortale decus, nomenq; illustre pararet,
Is fuit insignis, propria virtute decorus.*

Modus certaminis equestris.

WVilhelmus Comes ab Achalm An. 938. apparuit in certamine equestri Magdeburgensi.

*Protinus ergò Comes Wilhelmus ab arce vocatus
Achalmâ socijs stipatus equestribus illuc
Accelerat, lateri clypeus, loricaq; tergo
Insignis nitet, & fulgenti murice vestis,
Fulmineumq; aptus circumdat baltheus enses.
Ergò ibi cum magnis Heroibus impiger, altis
Principibusq; viris certauit strenuus armis.*

Primus author certaminis equestris in Germania.

Albertus Comes ab Achalm interfuit certamini equestri habito in Colonia. Anno 1179.

*Nongentos triginta simul numerauerat annos
Christus, & octauus fuerat feliciter ortus,
Rursus vt ad Patriam redijt Comes inclytus arcem:
Heinricus Caesar sceptrum tulit impiger isto
Tempore, & instituit certamina talia Martis
Non huic dissimilis, sumptis Comes impiger armis
Vir fuit Albertus, bello fortissimus Heros.*

*Vrbs iacet insignis celebri contermina Rheno
Turribus & muris locus illustrissimus altis,
Agrippina olim, nunc ipsa Colonia fertur:
Hic etiam conuentus erat, certamen equestre,
Protinus accelerat multis comitatus amicis
Achalma de gente satius Comes optimus olim
Albertus, magnisq; viris se immiscuit armis,
De palma virtute pari certare paratus.*

Ludouicus Comes de VVirté.

*Hic etiam sese Comes illo tempore primus
Wirtembergorum Ludouicus stirpe creatus*

Con-